



NOVA POSONIENSIS.

ANNO CHRISTI MDCC XXII.

DIE VI MAII.



Isbonæ, a. d. 20. Marti.

L Per aliquot iam dies nostri in eo sunt occupati, ut merces ex illa, quæ nuperrime ex Brasilia huc appulsa est, classe, in terram exponant. Naues has multo pretiosioribus, quam initio creditum est, onustas esse mercibus comperimus. Classem, quæ in sinum omnium Sanctorum proficiscetur, sub finem sequentis hebdomadis, exituram aiunt. Militum huius urbis prædiariorum, cum equitum, tum peditum, delectus nuperrime est habitus, qui sane ex edictis haud ita pridem palam editis, de tributo, quod ipsis alendis, sustentandisque destinatum est, quam promptissime deinceps pendendo, non parum solatii

reportarunt. Hoc tamen eos male habuit, quod his diebus, prævio tympanorum pulsu, in vulgus editum fuit, ne quis militum, siue præfectus, siue gregarius sit, herbam nicotianam in posterum vendere sustineat, statuta limni, in hos, qui edictum hoc violauerint, exauctorationis atque quinquennalis in regnum Angolæ, quod in Africa est, proscriptionis pœna. Constat autem gravissima hæc, de omni herbæ nicotianæ mercatu prohibito, mandata, Belgas illos mercatores qui ius monopolii, promissa immensa fere pecuniæ summa a rege impetrarunt, extorsisse, utpote qui Regi, quantæ sibi noxæ, quantæque fraudi eiusmodi aliorum mercatus futurus esset, prolixè exposuerunt, atque sic rege permittente, cum in Lusitanos ipsos tum in externos homi-

ne

nes feueriffime animaduertere conftituerunt. Nec ceffarunt ea, quæ ceperant confilia, strenue exfequi, quippe compluribus iam leuiffimas ob cauffas in carcerem detrufis, tantum reliquis timorem iniecerunt, vt omnes & finguli, herbam nicotianam aliunde allatam, vt & puluerem, quo fternuta-menta evocantur, vel abiicerent, vel igne cremarent. An vero vel fic mercatores ifti Belgæ, ingentem illam vim pecuniæ regi promiffam, quotannis flato tempore exfoluere potuerint, tempus nos docebit.

Madritti, a. d. 31. Martii. Rex nofter omnibus ftipatus aulicis die 8. Aprilis Aranguetiam abibit, totamque æftatem ibi tranfiget. Quem nuperrime Rufforum Imperator ad nos mifit præfectum militum, is cum rege noftro locutus non eft, fed quas ab Imperatore fuo ad noftrom acceperat litteras, *Marcioni* Grimaldo, tradidit, in quibus eum de pace cum Suecis inita, certior fecit. Nec alia ab Imperatore fuo mandata habuiffe cenfendus eft, hic militum præfectus, quum fagaciores omnes, noua, quæ noftri omni ftudio molliuntur, Chauignio, Gallorum legato, adfcribere foleant, quanquam hic perfuadere conetur omnibus, ea, quæ de fœdere cum quibusdam Italiæ principibus factò in vulgus fparfa fuere, omni deftitui fundamento. Interea præter quindecim illa nauigia, quæ Principem Carolum in Italiam vectura effe dicuntur, alia adhuc exftituuntur, milites in toto, qua patet regno, fine vlla vacationis venia, conftituntur, horrea militaria, rebus bd belligerandum neceffariis inftituuntur, propugnacula & oræ maritimæ nouis operibus communiuntur.

Ex Porta Gaditano, a. d. 16. Martii.

Lembo quodam intra quatuor menfium fpatium Bono Aëre huc appulfo, nuntiatum eft, Gallorum naues, quæ per aliquot menses mari inerrarunt mediterraneo, portu noftro *Chinbo*, in regno *Cile* potitas effe, noftrosque proinde nihil magis quam copias fubfidiarias exfpectare, vt hoftes ex eo depellere poffint. Quatuor Algerienfes prædones maritimi, portum Malacensem nuperrime prætervefti, nauem quandam Belgicam, Amftelodamo in Indiam orientalem tendentem, ceperunt. Quæ in Algeriano, Tingitano, Tunetano & Tripolitano portibus, quam diligentiffime ad bellum præparari audimus, eam ob caufam fieri dicuntur, vt piratæ exfcenfionem in Hispanorum oras maritimas facere queant. Nec tamen, quæ de hoc apparatu bellico magnifice iactata fuut, nunc confirmantur, vtpote, qui, quantus quantus eft, nonnifi ex decem Liburnicis, * & duodetriginta nauibus confiftit, quibus vltra tria hominum millia imponi vix poffunt. Qui Septa nuperrime huc appulfus eft lembus minor, hæc omnia confirmaffe dicitur. Atque hæc eft cauffa, cur noftri quatuor nauibus bellicis, quæ in hoc portu ab aliquo tempore exftitui cœptæ funt, breui coronidem fint impofituri.

* *Liburnæ, vel Liburnicæ, illius funt generis naues bellicæ, velociffimæ, qualibus olim Liburni Illyrici in prædationibus per mare Jonium vfi fuerunt.*

Barcinone, a. d. 27. Mart. Nunc quatuor naues bellicæ, quarum nonnullæ quinquaginta, aliæ feptuaginta sex tormentis maioribus ornatae funt, penitus quidem funt exftitæ, nondum tamen focis naualibus inftitæ, quorum haud exiguum numerum ex Valentia breui aduenturum fperamus.

Parisiis, a. d. 13. Aprilis. Quod si rex vna cum aulicis omnibus, quemadmodum nuper in consilio sancitum est, Versaliam fuerit profectus, maximum exinde vrbs nostra capiet detrimentum; sunt enim, qui calculis subductis, civium omnium redditus, decies centenis millibus hac ratione diminutum iri, perhibent. Ceterum iam & diem huic regis discessui præfinitam esse certum est, videlicet secundam mensis proxime secuturi, Non solum primarii quidam regni administri, sed etiam complures magni nominis, nec minoris eruditionis iureconsulti, in eo toti sunt vt adferant, regem nostrum, non prius quam anno demum primo & vigesimo ætatis, *maiorenem* fieri posse, propterea, quod iura atque consuetudines Galliæ iubeant, filios quidem regis anno decimo tertio, in suam potestatem venire, seu maiorenes fieri, nequaquam autem nepotes, vtpote qui secundum leges & exempla superiorum temporum, non prius quam anno vigesimo primo *maiorenes* declarari possint. Sunt etiam, qui sibi persuadent, patronos huius sententiæ, eam fortiter propugnatos esse; sed nec desunt alii, qui existimant, a supremo senatu eam haud adprobaturum iri. Manat etiam sed perobscura fama, Hispaniæ regem, infirmitate corporis sæpe laborantem, coniugem suam regiminis sociam interea declarasse, *Cardinalemque* Alberonium, nec non amicos eius, ad pristinas fortasse, in quibus olim constituti erant, dignitates evectum iri.

Londini, a. d. 11. Aprilis. Numerus eorum, qui ad proxima deliguntur comitia, quotidie præter opinionem augetur, iam enim ducenti sexaginta vtrique curiæ sunt adscripti, inter quos nonnisi nonaginta numerantur, qui su-

periori tempore comitiis non interfuerant. Proinde certum est, plures nunc futuros esse, quam fuerunt in superioribus comitiis, qui regis studebunt rebus, Cum nuper Southwarcæ in publico conuentu deligerentur, qui ad comitia mittendi sunt, longe maiores exortæ fuerunt turbæ, quam quas in tractu Westmonasteriensi exortas fuisse commemorauimus, *candidatos* namque ex illorum numero, qui regis fauent partibus, plebs furibunda ex equis deiectos, grauissimis confodit vulneribus, tandemque suffragantibus in primis Quakeris quidam ex altera factione, quam *Whig* appellant, electus fuit. Bonmasarius, Russorum Imperatoris legatus, inopinata morte diem obiit extremum.

Alia, a. d. 14. Aprilis. Complures iam ex eorum numero, qui nuper in conuentu Westmonasteriensi vulnerati fuerunt, mori ex iis vulneribus oportuit. Cadoganius *comes*, Radingam his diebus profectus, consulem vrbs eius, aliosque primariæ dignitatis viros, rogauit, vt Cadoganium chiliarcham, fratremque suum, & cum hoc alium quendam virum nobilem, ad comitia mittendos, deligerent; cui illi responderunt, non nos, inquietes, fratris „Tui electioni refragabimur; sed alterius loco, quem vna cum fratre nobis „commendas, alium, qui magis nobis „probatur, deligemus. Cumque Cadoganius aieret, non se consueuisse pati, „vt in rebus istiusmodi, conditiones „sibi præscribantur, consul statim ei „regeffit, neque nos, vi ulla, nosmet expugnari aut terri patiēmur,

Hagæ Comitum, a. d. 20. Aprilis. Crebri his temporibus adferebant nuntii in nonnullis Hispaniæ portibus quam plurimas instrui naues, variasque ex ea re suspensiones multos traxisse. Ex litteris autem

autem, quas præfectus mercatorum nostratum, Gadibus existens, ad proceres nostros, die 17. mensis præterlapi exaravit, intelleximus, exornari quidem in eo portu, naues maiores quinque, sed duas illarum, veram Crucem, quæ Americæ Septentrionalis vrbs est, destinatas esse, vt magnam vim argenti viui eo deuehant; præter has vero, tres minores naues in promptu esse, neque vllas alias in eo portu parari bellicas naues. Patinum autem, rei naualis præfectum, habere quidem in mandatis vt, octo maiores & sex minores naues instruat, sed eum adfirmasse præfecto mercatorum nostratum, naues hæc, non alio fine parari, quam vt classiculæ Hollandicæ iungantur, persequendisque piratis Algerianis inferuiant. Aliunde tamen perlatum est, Hispanos, prætextu hoc vti, vt res, quas moliuntur, celare tantisper possint.

Hafnia, a. d. 11. Aprilis. Proximis hisce diebus rex noster reginæ precibus commotus, 21. captiuos e carceribus dimittendos curauit, ea tamen lege, vt e regno discedentes, nunquam in posterum redire sustineant.

Holmia, a. d. 1. Aprilis. Bestuchoffius, Russorum Imperatoris legatus, quam sæpissime consilia cum quibusdam regni senatoribus conferre solet, quæ tamen quam diligentissime adhuc celantur.

Alia, a. d. 6. Aprilis. Summum militum ducem, Stackelbergium, cum sexaginta aliis præfectis qui hucusque in Russia captiui fuerant, hac hebdomade accessurum ferunt.

Brunsviga, a. d. 14. Aprilis. Prima die festa Paschatos, in amplissimo pago *Beltheim* dicto, sæuissimum exortum est incendium, quo non tantum plu-

rimæ rusticorum ædes, sed & templum ipsum consumtum est.

Posnania, a. d. 22. Aprilis. Superiori die Lunæ conuentus iudiciorum nobilium institui cœpit. Ex Turciæ, nec non ex Russiæ limitibus accepimus, omnia ibi pacata nunc esse.

Vienna, a. d. 29. Aprilis. Superiori die saturni octo naues, variis rebus, quæ Temesuariam destinatæ sunt, onustæ cum opificibus quamplurimis, hinc secundo Danubio descenderunt. Nudius quartus, Excellentissimus Comes, Carolus Ludouicus Sintzendorffius, Vicarius Consilii Imperialis præses, morbo, quem apoplexiam vocant, correptus, viuere desiit, postquam attingisset annum ætatis septuagnum. Die Lunæ Imperator vna cum Augusta duabusque Archiducibus in amœnissimum secessum Laxenburgensem se contulit, ardearumque se oblectauit venatione.

Alia, a. d. 2. Mai. Superiori die mercurii, cursor extraordinarius Camera-cum ad Excell. Comitum Windischgrætium missus est. Hesternæ vero die, *Baro* Danckelmannus Berolinum abiit. Eminentissimus Cardinalis, idemque Imperii Rom. Comes; Michael Fridericus Althanius, Pro-Regis Neapolitani dignitate ornatus est. Siciliæ vero eadem potestate præesse iussus est, Joachimus Ferdinandus Portocarrero, summi castrorum præfecti legatus.

Cibinii in Transyluania, a. d. 21. April. Præterita hac nocte, hora prima, Excellentissimus Comes, Damianus Hugo Virmontius, summus copiarum Cæsarearum in Principatu nostro & Walachia Dux, morbo, consumtus, vitam finiit, cuius tanto mors est acerbior, quanto vita omnibus fuit iucundior.